



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LX. Ioannes Elector XLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

re hoc, de quo dicebant, consumatus in brevi explevit tempora multa, 3. nempe annorum compendio vivis est ereptus an. 1604. sub Leone XI. Pont.

LX. IOANNES ELECTOR XLIV.

Joannes Schvvicardus perquam nobilis & antiquæ familiæ de Cronenberg decus, in Germanico Romæ Collegio virtutibus & literis juventutem exornavit. In patriam reversus ab Archipræsule Wolfgango constitutus est in spiritualibus Vicarius, à Metropolitanis verò delectus Scholasticus, dehinc Decanus, ac demum Archiepiscopus an. 1604. Inter Electores Moguntinos postremus fuit omnium, quos aliorum authorum potiùs, quàm suo testimonio celebratos nobis reliquit Serarius. Paucissima cur de eodem scripserit, causa fuit, quòd scribentem absterruerint & viventis Antistitis modestia, & Historicorum multorum regula, qua cautum sibi dicunt, ut non nisi mortuorum gesta scribant, ne adulationis incurrant notam. In compendiis etiam *ex ungue Leones* oportet cognoscere: tantus verò fuit Schvvicardus *Leo*, ut supremas in orbe *Aquilas* Rudolphum II. & Mathiam Augustos fratres sua potissimum autoritate denique conciliaverit. Eminus & cominus contra *Pseudoleones* in Bohemia indutus armis, inter Victores Principes meritò potuit numerari: eapropter à Christiano Brunsvicensi Duce post Pragensem cladem bello vexatus durissimè, Joannem Tillium suum laudavit liberatorem. Genuinos dein æstimare & promovere doctus *Leones* Schvvicardus, rejecto suâ etiam sententiâ Friderico Bohemorum seditiosorum antesignano, *Leonem Bavarum*, Maximilianum I. suo calculo elegit Imperii Dapiferum. Amicis igitur & *Aquilis* & *Leonibus* tutus atque securus, nec latum unguem cessit A catholicis, difficilia sanè passus tempora, ubi nimirum per annos 30. continuos bellum pro aris & focus à nonnullis Pseudo-Christianis, Heterodoxis, & Mahometanis

nis in id unum conspirantibus susceptum est, ut si non penitus solo æquare, saltem multis modis & machinis concussam intueri liceret Romanam Ecclesiam, aut Romanum Imperium. Annus Schvvicardo fuit ultimus 1626. Sedit itaque annis 22, unà cum Pont. Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII.

LXI. GEORGIUS FRIDERICVS ELECTOR XLV.

Georgius Fridericus de Greiffenclau ad Rhenum ex antiquo & perillustri sanguine natus, suis laude dignissimis gestis eundem maximopere exornavit: vestigiis enim Richardi avunculi sui prioris seculi inter Trevirenses Archiepiscopi præclare institit ab ineunte ætate, cum primùm Moguntia Canonici, mox verò Præpositus, dein Wormatiæ Episcopus, & demum Moguntia Archiepiscopus est promulgatus. Inter præclara opera Friderici numerandum venit Imperatoris mandatum, vulgo *Edictum Restitutorium* nuncupatum, quo Heterodoxi in Imperio Viri Principes restituere sunt iussi adempta Ecclesie jura & bona: unde natus est tumultus inter malæ fidei possessores maximus, jure belli ea sibi debere vociferantes, & ampliora desiderantes. Annis non nisi 3. Moguntinam rexit Ecclesiam Fridericus sub Pontifice Urbano VIII. an. 1629. jam mortuus, cui longius ævum optârunt non modò Viri clarissimi ex Greiffenclaviensium genere oriundi, atque inter Moguntinos celeberrimi, sed in Ecclesia & in Imperio omnes boni.

LXII. ANSELMVS CASIMIRVS ELECTOR XLVI.

Anselmus Casimirus Perillustrium Equitum cognomento Wambold de Umstatt dictorum insigne decus, inter totius Germaniæ hostiles strepitus est promulgatus, omine nequa-